# MONITA ALIQVOT ET STATVTA,

## QVÆ

### Ex Constitutionibus Ecclesiasticis atque Ordinationibus Academicis selecta

PROCANCELLARIUS istius Universitatis CANTABRIGIÆ (famæ ac dignitati ejusdem prospiciens) ad communem omnium utilitatem, atque ad decorem & ordinem publicè conservandum, proponit, à singulis Graduatis & Scholaribus (pro suo cujusque loco atque officio) diligenter observanda, in virtute juramenti, & sub pœna quæ incumbit transgressoribus.

*DEVM TIMETE: REGEM HONORATE: VIRTVTEM COLITE: DISCIPLINIS BONIS OPERAM DATE.*

## *I. De Conventibus Sacris.*

1 DIVINA OFFICIA in singulis quotidie Collegiis celebrantor horis per Statuta Academiæ designatis, atque ad formulam Communis Liturgiæ tam in Psalmis, Lectionibus, & Hymnis, quàm in Precibus, aliisve Sacri cultûs partibus præscriptam. Instituta, Ritus, & Cæremoniæ ab Ecclesia approbatæ studiosè ab omnibus observantor. Sacerdos vel Minister quilibet Divina celebrans semper Superpelliceum induere tenetur, prout in Rubrica ejusdem Publicæ Liturgiæ, quæ ante Matutinas est proxima, succinente etiam XVI° Canone Constitutionum Ecclesiasticarum, statutum est. Per singulos autem Dies Dominicos & Festivos eorúmque Vigilias non solùm Præfecti Collegiorum, sed Socii, & cæteri etiam Scholares, Commensales ac Studentes universi honesto cum apparatu & Superpelliceis tecti in Chorum veniant; quod in Statutis Academiæ & XVII° Canone earundem Constitutionum præscribitur.

2 CONCIONES Academicæ, quæ Dominicis Festísque Diebus, Generales item Supplicationes, quæ Statis Temporibus in ECCLESIA B. MARIÆ haberi solent, ab Omnibus frequententur. DOMUM DEI DECET SANCTITUDO: Videat ergò unusquisque, ut post ingressum humilem & modestum reverenter ibidem se gerat & religiosè, decorem atque ordinem per omnia conservans: Nec discedat quispiam à Sacro Conventu (quod non sine magna Disciplinæ jactura & supremi Numinis contumelia subinde à junioribus fieri solet) ante finalem Benedictionem omnibus impertitam.

3 IN EODEM TEMPLO, CHORUS Doctores tantùm capiat, & eos quibus facultas ibidem assidendi concessa est; nec Quisquam alius eò se ingerat, nisi Generalium Supplicationum tempore Magistri Regentes ad decantandam Litaniam solenniter per Bedellum evocati. AREA in Nave ejusdem Ecclesiæ circumsepta solis Magistris & Sociorum Commensalibus pateat. RELIQUA Pars Navis, quæ extra Septum versùs Occidentem est (præter utramq; Ecclesiæ Chorúq; ALAM, & SEDILIA inferiora, siqua vacaverint) Baccalaureis Artium, atque inferioribus omnibus Scholaribus cedat. SEDILIA ad utrumque latus Areæ nemo Scholaris introeat; Theologiæ tamen Baccalaureis & Magistris Artium, quibus in Area locus relictus non erit, superiora in utrisque Alis Sedilia conceduntor. Porrò in superiori Parte Chori, quæ Subselliis Doctorum & Septo ante Mensam Dominicam interjacet, Nulli sit astandi locus.

## *II. De Congregationibus, aliisque publicis Academiæ Conventibus.*

1 BEDELLI Congregationes singulas in singulis Collegiis convocent, atque etiam in Collegiis illic ubi ab omnibus commodè audiri possint. SERMO Latinus tantùm audiatur tam in publicis Conventibus Academiæ quàm in Aulis & Mensis Collegiorum.

2 AD CONGREGATIONIBUS aut Convocationibus Magistri Regentes & Non-regentes sese nè absentent: præsentes verò sine venia priùs à Procancellario obtentâ nè discedant. Disciplinam, decorem, gravitatémq; tanti Senatûs nè violent, sed videant ut quietè omnia & tranquillè agantur. Nullus vocem alterius solicitet, aut transeat ab una parte Domûs ad alteram, ut quemvis præmoneat quid ab aliis dictum factúmve sit, aut quid ab illo fieri velit; sed quem quisq; locum primùm in ordine suo occupaverit, in eodem quiescat, nisi ad Caput Senatûs, aut Scrutinium, & Similia solenniter transigenda per Bedellum evocetur. Procancellarium, Professorem, Oratorem, aut alium quemvis Perorantem Magistri Non-Regentes introeuntes usq; ad Mensam Procuratorum (quæ semper erit in conspectu,) Regentes verò in locis suis placidè adstantes audiant. Suffragia, quæ in scriptis exhiberi solent, solenni more & ordine, non tumultuariò aut catervatim ascendentes, ad Scrutinium repræsentent; reliqua, quæ voce dantur, sedatè & in aurem Procuratoris aut Scrutatoris proferant. Clamores verò & rixæ, quæ nec dignitatem nec modestiam decent Academicam, omnino facessant.

## *III. De Lectionibus, Disputationibus, & Exercitiis publicis.*

1 LECTORES omnes publici Statis diebus horísque prælegant. Auditores iisdem Lectionibus, quibus ex Statuto assignantur, diligenter intersint, eásque à principio usque ad finem quietè & attentè audiant, sub pœna Statuti. Theologicam Lectionem audiant Artium Magistri & Theologiæ Baccalaurei; Hebraicam, Artium itidem Magistri; Philosophicam, Mathematicam, & Græcam, in Artibus Baccalaurei; Rhetoricam, Logicam, atque etiam Philosophicam, Scholares inferiores. Professores autem Juris & Medicinæ audiant qui sunt earundem Facultatum studiosi. Primarii Collegiorum Lectores nomina singulorum Sociorum & Discipulorum in suis Collegiis commorantium, & quas Lectiones quilibet audire & frequentare debeat, alteri Procuratorum aut Bedellorum exhibeant triduo ante initium cujusque Termini. Iidem, aut Decani Collegiorum, Monitores singulis septimanis pro qualibet Auditorum classe in Scholis artium constituant. Monitores, finitâ statim Lectione, schedulam absentium, serò venientium, vel exeuntium (pro suo quisque Collegio) Bedello tradant sub pœna statuta; eandémque Bedelli septimanatim deferant ad Procancellarium in virtute juramenti.

2 CURSUS Disputationum in Theologia, Jure & Medicina à singulis tam Opponentibus quàm Respondentibus secundùm Statuta Academiæ diligenter observantor. Auditores in unaquaque Facultate Scholas suas nè deserant (quod à quibusdam nimis contumeliosè & temere fit) priusquam Disputatio & (si quando occurrat) Determinatio finiatur. Scholares autem & Baccalaureos ultro citróque gradientes, discurrentes, aut ad libitum discedentes compescant Procuratores Academiæ.

3 AD DISPUTATIONES in Scholis, & Conciones ad Clerum Magistri exeant [illegible] Collegiis redeántque honesto comitatu stipati: Procedentes verò Scholares per Plateas, non turmatim aut in cumulo, sed decenter & compositè, bini & bini in ordinem dige[illegible] incedant.

4 QUÆSTIONISTÆ in Scholas à Patre suo producti, ipsi etiam Patres, Prævaricatores, Tripodes, aliíque omnes Disputantes, Declamantes, aut publicè Perorantes Statuta Academiæ diligenter observent, verecundiam & modestiam in Exercitiis suis studiosè colant; à Salutationibus mimicis, Gesticulationibus ridiculis atque immodestis, Anglicani & cujusvis sermonis ineptiis, Jocis quoque scurrilibus, Obscœnitatibus, Irrisionibus, Ludibriis, & Sannis quibuscunque satyricis unde alicujus existimatio aut fama lædi possit, penitus in posterum abstineant; atque à Rerum sive Personarum cùm Politicarum tum Sacrarum nominationibus, aut vellicationibus, cæterísque omnibus Religionis ac Literarum Dehonestamentis omnino se cohibeant, sub pœna Suspensionis, vel (si atrocitas facti postulaverit) Expulsionis & Infamię publicâ sententiâ infligendæ. Neque enim Procancellarius, Aliíque in potestate constituti, si tantam audaciam vincere non possint, saltem inultam aut impunitam sinent.

5 IN TEMPLIS Scholísve nemo ausit Sedilia conscendere; nemo in publicis quibuscunq; Exercitiis indecorum Strepitum, aut inanem, histrionicum & ventosum Applausum edere: nemo pedibus pulset, aut pluteos cædat, (& nominatim, quando Inceptores in Artibus prodeunt ad interpretandum Aristotelem) neque cachinnando, sibilando, aut ignominiosè exscreando (moribus merè rusticis, atque Academiâ prorsus indignis) quisquam Loci disciplinam, vel Conventûs solennitatem violet.

## *IIII. De communi Vestitu & Habitu Scholastico.*

1 OMNES Sacris Ordinibus initiati, cujuscunque gradûs aut facultatis in Academia sint, vestiantur modestè, prout Clericos decet, & ea nominatim observent quæ Canonibus & Constitutionibus Ecclesiasticis (præsertim verò Canone LXXIV°) præcepta eis sunt; ubi, præter summam in omni alio Vestitu gravitatem, Togæ cum collaribus erectis, & manicis, pro Beneficiatis contractioribus, aut laxioribus pro more Academico designantur. In aliorum quorundam (præsertim juniorum) vestitu Novitas Fastûsque magnus & enormis est: Proin cæteri omnes Scholares tam non Graduati quàm Graduati iis induantur Vestibus quæ superbiâ & sumptu non luxurient, nec variis & lucidis coloribus splendeant, sed gravitatem & modestiam Scholasticam undequaque præ se ferant. Togis insuper nigris, nisi per privata alicujus Collegii Statuta & Præcepta aliter provideatur, cum laxis potiùs manicis, & brachia tegentibus, quàm contractis induantur (ii præsertim qui de Collegii cujusque Fundatione sint:) itâ ut antiquum & magis laudabile Academiæ Institutum, Decorum atq; Ordo, & (quantum fieri possit) unus idémq; Modus, pariter per omnia uniformis, ab omnibus conservetur. Ocreati simul & Togati, sive Cothurnis, candidísve Tibialibus, vel patulis & crispatis Calceorum Ornamentis induti nè incedant. Diploïdas nullâ parte fenestratas aut apertas gerant. Cincinnos in capite de industria nè faciant. Collaria autem linea sive laciniata, sive in humeros immodicè expansa, defluámque & nimis promissam Cæsariem ad modestiam & decorum compescant.

2 PILEIS Scholasticis utantur Omnes tam in Collegio quàm extra Collegium; exceptis Nobilium filiis & Militum primogenitis, qui ad eos induendos non (nisi volentes) astringuntur. Graduati omnes etiam Epitogia sua, sive Epomidas de panno nigro (nec intus pellibus aut albo serico duplicatas, sive ad oram fimbriatas) in humeris gestitabunt.

3 INSUPER in publicis Magistrorum Disputationibus, Concionibus ad Clerum, Supplicationibus, Exequiis, & Congregationibus universis Regentes omnes Habitu atque Caputio è Minuto-vario obverso (excepto Oratore, qui Sericum per Statuta induit) ornati incedant: id quod nuper maxima ex parte & laudabili Exemplo observatum est.

4 QUI ad gradum Baccalaureatûs in Artibus admittendi sunt, videant, ut non tantùm Pileos Scholasticos, sed Togas etiam decentes, nigras, & laxè manicatas unà cum Caputiis eidem Gradui competentibus de proprio sibi comparent; & sic induti in Senatum Magistrorum sedatè & ordinatim ad Procancellarium introducantur.

## *V. De Moribus Scholarium ad modestiam formandis.*

1 MODESTIAM Omnes omnibus in locis colant. Inferiores Ordines Superioribus loco cedant, & debitam Reverentiam ubique exhibeant.

2 SCHOLARES & Graduati (cujuscunque conditionis sint) ab Ædibus & Officinis Oppidanorum de Die & præsertim de Nocte sese abstineant. Nemo in Tabernas vinarias, Cauponas, aut Diversoria (nisi ex causa per Procancellarium approbandâ) introeat, aut ibidem moram trahat. Nemo in Plateis otiosus pervagetur, aut in Officinis Ædibúsve Pæti-vendulorum Fumum hauriat. Nulli Forum frequentent, nisi sint privati Collegiorum, aut publici Academiæ Officiarii; néve in solennes Conventus quos Assisas vocant & Sessiones, aut ad vicinas Nundinas, absque venia priùs à Procancellario, aut Præfecto Collegii in quo commorantur, petitâ & obtentâ, sese intromittant.

3 ALEÆ nullo tempore; Chartæ pictæ nullibi nisi in Aulis Collegiorum, ídq; Tempore Natalitio tantùm, moderatè & Horis idoneis usurpentur. Nemo in eadem Festivitate cum Lychnis aut Larvis, sive cum Tubis aut Tympanis exeat è Collegio suo. Portæ autem Collegiorum Horis statutis claudantur.

4 QUINETIAM abstineant Omnes ab omni genere Lusûs vel Exercitii ex quo aliis periculum, injuria, vel incommodum creari possit; veluti à Venatione Ferarum cum Canibus aut Plagis, ab usu Balistarum, Bombardarum, aut Retium ad captanda Volatilia, à Ludo Pilæ pedalis, atque à Rudibus seu Baculis, quibus inter se vel cum Oppidanis, lanistarum more, batuant; neq; otiosi horum Ludorum spectatores adstent. Galli-præliis, Ursorum vel Taurorum pugnis, Gladiatorum certaminibus, Funambulorum spectaculis, Histrionum fabulis (siqui irrepserint & quæstûs causâ infra Præcinctum Universitatis in Scenam prodierint) cæterísque Ludicris Oblectamentis, quibus bonæ horæ malè collocatæ sunt, nulli intersint Scholares aut Graduati, sub pœna violati Juris & Disciplinæ Academicæ proculcatæ.

5 INCEPTORES, Baccalaurei, Quæstionistæ, Sophistæ, Moderatores præcipuè & Disputantes sive Declamantes, ab omnibus Invitationibus, Comessationibus, Compotationibus, inanibúsque pecuniæ Collationibus, tam publicis quàm privatis, omnino abstineant, sub pœna Infamiæ & Suspensionis ab omni Gradu suscepto & suscipiendo.

*QVI DILIGIT DISCIPLINAM, DILIGIT SCIENTIAM.*

CANTABRIGIÆ
Excudit R. D. Academiæ Typographus.
NOVEMB. XXVIII. MDCXXXIX.

JO. COSIN, *Procan.*